



# Disputatio juridica inauguralis de transactionibus

<https://hdl.handle.net/1874/345138>

8.

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
**TRANSACTIONIBUS.**

QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JACOBI VALLAN,**

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decretio,*

**PRO GRADU DOCTORATUS**

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicie*

**NICOLAUS PESTERS, Mosa-TRAJECT.**

*Ad diem 4. Maii hora locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ

Typographi, clc Icc xci.

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis

V I R I S,

D. JOHANNI PESTERS, JC.

Potentissimo Magnæ Britanniæ Regi à consiliis,  
rationibus, & libellis supplicibus, Parenti filiali  
amore, & obsequio venerando, colendo.

D. PETRO NOYEN, JC.

Supremæ Gelrorum Curiæ Senatori, Academiæ  
Gelricæ, quæ Harderovici est, Curatori gravissi-  
mo, dignissimo.

D. JOHANNI GHYSENS, M. D.

Reip. Trajectensis ex-Consuli, & Medico exper-  
tissimo. Ærarii Ecclesiasti, quod ultra mosam est,  
Præfecto fidissimo.

Avunculis suis omni honore prosequendis.

Hanc Disputationem Inauguralem;

sacram facit

NICOLAUS PESTERS,

AUCT. & RESP.

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
TRANSACTIONIBUS.

THESIS I.



Transactionis vox à transigendi verbo originem trahit, quod vel latius sumitur, & significat cuilibet negotio, sive controverso, sive non controverso quo-cunque modo finem imponere l. 229. de V. S. Unde Transacta dicuntur, quæcunque jurejurando, ut in l. 2. & l. 31. ff. de jurejur. sententia, ut in l. 13. §. 7. de his q. not. infam. l. 5. ff. de decur.

Iongo temporis silentio sopita l. 230. de V. S. l. 1. §. ult. ad SCtum Tertium. aut quovis alio modo decisa sunt l. 46. ff. de R. V. l. 1. §. 3. ff. de paet. Vel specialius, & significat causam dubiam, & litigiosam certa lege, ac conditione conventione finire t. 1. ff. & C. b. ideoque in jure sepius nominatur pactum l. 13. 17. & 20. C. b. t. placitum l. 6. & 10. C. b. t. pactum conven-tum l. 15. ff. eod. Recte verò definitur, Transactio est rei dubia, & litigiosa dato aliquo, vel retento, vel promisso conventa decisio.

II.

Queniam autem hæc decisio respicere potest universi alicujus juris quæstiones, ut in l. 29. C. b. t., vel certam aliquam rem, & controversiam ut in l. 31. C. eod. hinc ab objecto dividitur Transaction in generalem, & specialem. A modo quoque quo transigitur, variè dividi poterit Transaction. Erit enim alia ju-

## DISSERTATIO JURIDICA

rata, alia non jurata ut in *l. 41. & 42. C. b. t.* alia scripta, alia non scripta, pro ut partium consensus voluerit *l. 17. Cod. de fide instrument.* Per se enim nec jusjurandum, nec scriptura ad substantiam Transactionis requiritur, sed sufficit conventam decisionem aliunde posse probari *l. 5. C. b. t.* alia simplex, quæ fit nudo pacto *l. 2. ff. l. 15. l. 17. C. b. t.* vel non simplex, quæ fit per aquilianam stipulationem, & subsequentem acceptilationem *l. 2. 4. & 5. ff. h. t.*

### I I I.

Ex iis quæ in definitione dicta sunt, facile patet ad Transactionem consensum requiri. Non tamen omnes qui consentire, aut pacisci possunt, eo ipso transigere valent, quia Transactione implicitam habet alienationem; dicendum itaque eos omnes transigere posse, qui nec naturâ, nec lege prohibentur. Natura autem prohibentur mente capti *arg. l. 27. C. b. t.* furiosi *l. 5. d. R. l. 1. 40. eod.* nisi tempore dilucidi intervalli *l. 2. C. de Contrab. empt.* Infantes *§. 11. l. de inut. stipul.* Lege prohibentur prodigi *d. l. 40.* Pupilli sine tutorum auctoritate *l. 28. ff. de pact.* Maritus de bonis dotalibus *pr. l. q. alien. lic. vel non.* quid autem de minoribus dicendum sit, facile est determinare ex communi jure, sicut enim regulariter minoribus læsis, & lapsis datur restitutio *l. 1. ff. de minorib.* ita & si per Transactionem læsi sint, *rot. tit. Cod. si adv. vend.* quid si autem damnum magis ex evenitu contingat, quam ex ipsa Transactione, minor sub prætextu ætaris non restituetur *l. 11. §. 4. & 5. ff. de minor.* coque referenda est *l. 11. C. b. t.*

### I V.

Procuratores quoque recte Transigunt, si vel in rem propriam sint, vel speciali ad hoc mandato instructi, vel universorum bonorum administrationem sustinent *arg. l. 17. §. fin. de jure jur. & l. 60. §. 4. ff. mand.* ubi rectè additur, illud attendendum

## I N A U G U R A L I S .

dum ne fraudulenter, aut perdendi animo agant. Ceterum si ad lites sive generaliter, sive specialiter, vel ad agendum simpliciter dati sint, juri domini non derogant *l. 7. C. b. t. l. 60. ff. de procur.* Similiter & syndici, & civitatum administratores transigendi jus habent, dummodo non ambitiosè rem certam, ac indubitatam remittant *l. 12. C. b. t.*

### V.

Porro a Tutoribus, & Curatoribus de rebus pupillorum, & minorum interposita valebit transactio, si de justitia causa illorum incerti sint, ac dubitent *l. 56. §. 4. ff. defaut. l. 54. §. fin. eod. l. 46. §. ult. de administ. tut.* Expedit enim pupillis, ut in anticipiti litis eventu potius aliquid accipiant, quam ut de toto periclitentur. Nec tamen de omni re pupilli simpliciter ab illis inita Transactio rata habetur, quæ enim de rebus immobilibus sit, non subsistet, nisi post inquisitionem judicis, ejus decretum interponatur *arg. l. 22. C. de administ. tut.*

### V I.

An autem pater de re liberorum transigere possit, quæri solet? & quidem de eorum bonis, quos in potestate non habet, transigens, iis nullo modo obesse dicitur *l. 10. ff. b. t.* filio autem in potestate existente, de bonis ejus adventitiis, causa nim. valde dubiâ, quin valeat patris Transactio, non est dubium *arg. l. 8. C. de bon. qualib. fand.* cur id, quod tutori concessum est, patri denegaretur, nulla est ratio, cum & is præter legitimam adventitiæ peculii administrationem, ejus quoque usumfructum habeat. Filius tamen si in secunda ætate sit constitutus, consentire debet. *d. l. 8. §. 3. C. de bon. q. lib.*

### V I I.

Objectum Transactionis constituunt res dubiæ, & litigiosæ

6 DISSERTATIO JURIDICA

*I. i. l. 14. ff. b. t. l. 12. C. eod.* Hinc, quæ res in Transactionem venire non possunt, manifeste apparet, & quidem de re jurejurando decisa, aut judicio terminata, in vacuum fieri Transactionem certi juris est. *l. 32. C. h. t.* Quod ita intelligendum, si sententia indubitata sit, nec ullâ appellationis, aut in integrum restitutionis solennitate suspensa *d. l. 32.* Si negetur quoque, judicatum esse, aut an judicatum sit, ignoretur, non malè fit Transaction *l. 11. ff. b. t.*

.V

V I I I.

Utrum de controversiis ex ultima voluntate orientibus transfigere licet, non omnes in eandem sententiam eunt Interpp., & quandoquidem ad Transactionem requiritur consensus, qui sine intellectu ejus rei, cui consentimus consistere nequit, patet, illam Transactionem, quæ sit super his controversiis, non inspectis testamenti tabb. utpote vagam, incertam, ac sine intellectu, nullo modo constare posse. Unde & in *l. 6 ff. b. t.* statutum est, necessariam esse inspectionem, sine qua veritas cognosci nequit ut in *l. i. §. 1. ff. quemadmodum. test. aper.* dicitur. Præterea aliis non ineptis rationibus hæc sententia sustinetur, cum publicè quippe expedit ut testamenta exitum habeant *l. 5. ff. quemadmodum. test. ap.* quæ per tales Transactiones eluduntur ac circumveniuntur. Quid ni dicamus & odium illorum, qui ex celatione testamentorum lucrum captare conantur, multum ad hoc contulisse, cum passim in jure nostro improbos illos lucratores coërceri videamus.

I X.

Sequitur aliud controversiæ testamentariae exemplum, nim. de alimentis; De illis autem in testamento, seu codicillis relictis, sive etiam mortis causâ donatis, nisi interveniente prætore transfigere non licet *l. 8. pr. & §. 2. ff. b. t.* cuius rei ratio est, quod homines modico præsenti contenti, in futurum sæpe non cūrant

# I N O A U G U T R T A L I S.

rant d. l. 8. cognoscere igitur debet prætor, an, & quæ transactio sit admittenda ideoque inquire de causa, modo, & qualitate personarum. Et cum ipsi specialiter hæc cognitio data sit; illam alteri mandare nullo modo potest d. l. 8. §. 18. Cum autem de præteritis recte transigatur l. 8. C. b. t. sequitur, prohibitionem hanc non respicere, nisi futuram alimentorum causam, & ad illam requiri, ut deterior non sit reddita, si enim quis ita transigit, ut quod per singulos annos ei relictum erat, per singulos menses consequatur, aut simili modo meliorem conditionem faciat, absque prætoris decreto rata erit Transactio l. 8. §. 6. ff. b. t. necessaria quoque non erit ejus auctoritas, si transigit quis, ut res pro pecunia, vel pecunia pro re detur, §. ult. d. l. 8. vel si Transactionem jurejurando confirmat arg. l. 1. & autb. sacramenta puberum C. si adv. vend. Quod autem hic de Transactione dictum, non est extendendum ad eum, qui alimentis renunciat, & gratis ea remittit, quam quidem renunciationem valere arbitror, cum beneficia juris haud dentur aspernantibus, nec hic, qui ultro repudiatur, circumveniri videatur sicuti is qui transigit, facile potest.

## X.

Supereft nunc, ut videamus, quid de delictis statuendum sit. Hæc autem sunt vel privata, vel publica. De privatis, quæ manifestam turpitudinem continent, ut furti, vi bonorum raptorum &c. qui transigit, à prætore notatur infamia l. 1. l. 6. §. 3. & l. 4. §. 6. ff. de his q. not. infam. ratio est in l. 5. eod. quoniam confiteri intelligitur crimen, qui paciscitur. Si quis autem non manifestam turpitudinem pretio redimere conatur, non fit infamis arg. dd. ll. quemadmodum nec is, qui precibus impetravit, ne secum ageretur. l. 6. §. 3. eod. In publicis criminibus quid obtineat docet nos l. 18. C. b. tit. verba ejus sunt. *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est, in aliis autem publicis criminibus, que sanguinis panam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.*

## XI. Per

## X I.

Per capitale crimen in d.l. intelligitur, quod capitis, seu mortis pena plectitur l. ult. ff. de pravaric. l. 1. ff. de bon. eor. q. ante sent. Ignoscendum enim ei censuerunt Principes, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit d.l. 1. Nec distinguitur inter accusatorem, & reum, reus tamen utroque tempore, tam antea, quam post institutam accusationem impunè transigit, cum semper eadem pro eo stet commiserationis ratio. Accusator vero post institutam accusationem male transigit, incidit enim in SCtum Turpilianum, quisquis ab accusatione citra abolitionem desistit l. 1. §. 7. ad SCtum Turpil. abolitioni autem non facit locum qui pecuniā à reo acceptā, ad eam impetrāndam venit l. 2. C. de abolit. Hæc transactio de criminibus ipsum tamen crimen non perimit, sed efficit ne reus pro victo, ac confessō habeatur arg. d. l. 7. ff. de pravar. unde cuicunque alii eundem reum iterum accusare integrum est. l. 3. C. pro quib. caus. serv.

## X II.

Excipitur à prima regula b. l. 18. adulterium, sed quæ hujus rei ratio? olim quidem cum capitale crimen non fuit l. 5. ff. de quest. transigi de eo quoque non potuisse manifestum est: sed cum tempore Diocletiani & Maximiani, qui hanc legem sanxerunt, moribus, & postea constitutione expressa Constantini in l. 30. C. ad l. Jul. de adult. inter capitalia relatum sit, quare ab illis hic excipitur? causa nim. hujus rei mihi videtur, summa turpitudo, speciesque lenocinii, quod maritus, dum super adulterio transigit, contrahere videtur, contra l. 29. ff. adl. Jul. de adult. gratis tamen injuriam, adulterio nobis illatam, remittere nec posse constat. d. l. 29. §. 2. eod.

## XIII. Al-

I N A U G U R A L E T S.

XIII.

Altera pars hujus legis agit de criminibus publicis non capitalibus, & de his Transactionem vetuerunt Imp. quoniam hic sanguinis causa non agitur, ita ut reus qui de illis transigit, siue ante, siue post accusationem pro victo habeatur *l. ult. ff. de pravar.* accusator autem si post institutam accusationem transigit, impingit in SCum Turpilianum *d. l. i. §. 7. ad SCum Turp.* qui autem nondum accusationem instituit, non potest transigendo ab ea dici destituisse, & per consequens hoc SCto teneri. De eo autem dicendum, quod in legem Jul. repet. incidat, quatenus haec lex de eo loquitur, qui ad accusandum vel non accusandum pecuniam accepit *l. 6. §. 2. ff. ad l. Jul. repet.* Quin ut & per ultima verba hujus *l. 18.* dicamus eum falsi crimine teneri, quid vetat, non video, cum hoc & in *l. 2. ff. de concuss.* affirmetur, nec obscurè ex *l. i. §. 1. ff. ad l. Corn. de fals.* colligatur. Præterea usitatam hanc esse vocis (citra) notionem, ex jure constat; & qua denique ratione nitetur haec falsi criminis exceptio, cum in falso sanguinis pena cesseret *l. 1. §. 13. ff. ad l. Corn. de fals.* & *lex ult. ff. de pravar.* evidenter nos doceat in omnibus causis præterquam in sanguine Transactionem prohibitam esse. Falsi igitur accusationi obnoxius est, quisquis de publico crimine non capitali transigit, *d. l. 7. ad SCum Turp. l. 1. ff. de verb. obl.*

Effectus Transactionis sunt, quod non minor ejus auctoritas sit, quam rei judicatae *l. 28. C. b. iiii.* sed hoc, quatenus utraque litibus finem imponat, & neutra facilè seu temere retractetur, intelligendum. Differunt namque alias res judicata, & Transaction, cum haec consensu constet *l. 15. C. b. i.* judicium etiam in invitum reddatur *l. 83. §. 1. de verb. obl.* judicetur de omnibus criminibus, non vero transfigitur uti *sup. tb. dict. &c.* In odium igitur

tur litum, & quia has quam citissimè soperas voluere, tantam auctoritatem Transactioni tribuerunt Impp.

## X V.

Præterea summovet Transactionis priorem obligationem ope exceptionis l. 17. C. b. t. vel ipso quoque jure, si per aquilianam stipulationem & acceptilationem facta sit l. 4. ff. b. t. l. 15. C. eod. Quid autem, si pena in stipulationem deducta sit, & actor iterum agit, dicendum; & tunc quidem aut quod penæ nomine ei promissum est, exigere, aut Transactionis exceptione se tueri debet reus, l. 10. §. 1. de pact. l. 12. §. 2. de pact. dot. l. 40. C. b. t. non autem simul, & penam petere, & exceptionem opponere potest, nisi penæ stipulanti promissa, clausula (ratio manente pacto) adjecta sit l. pen. ff. b. t. Etiam, si Transactionis jurisjurandi religione solidata sit, pena peti potest l. 41. C. b. t. quod unum est ex quatuor gravibus incommodis, quibus Transactionis juratae ruptores afficiuntur. Notantur enim præterea infamia, actionem perdunt, ac data reddere coguntur d. l. 41.

## X V I.

Porro ex Transactione actionem nobis interdum competere exploratum est. Ex stipulatu scil., si per stipulationem facta sit l. 6. & l. 33. C. b. t. vel etiam præscriptis verbis, si in contractum innominatum degeneraverit dd. ll. tunc autem in eum transire dicitur, cum ab una parte impleta Transactione, alter, quod promisit, servare detrectet.

## X V I I.

Rescinditur Transactionis (1.) mutuo consensu, ita ut utriusque debeat esse mutata voluntas l. 14. C. b. t. unius enim penitentia efficere non potest, ut lis instauretur l. 39. C. eod. (2.) ex falsis quoque instrumentis inita retractatur Transactionis, licet iurantur.

I N A U G U R A L I S .

*jurandum sit interpositum l. pen. C. b. t. excipe: si de ipsa controversia ex eo, quod falsum dicitur, orta, ante transigatur.*  
 (3.) *Error calculi, id est, qui in rationibus, & computationibus committitur, veritati non affert præjudicium, ideoque Transactionem corrigit l. un. C. de Err. Calc. nisi de ipso errore Transactionum sit d. l. un.* (4.) *Vis & metus Transactionem vitiant, quoniam consensui nihil tam contrarium est l. 15. ff. de jurisd.*  
*Metus autem debet esse qui in constantem cadit hominem, & cum salutis periculo, seu corporis cruciatu conjunctus est. l. 13. C. b. t. l. 6. & 7. ff. quod met. caus.*

X V I I I .

Ultimo loco examinandum venit an *l. 2. C. derescind. vend.* in Transactione locum habeat, sive utrum ob læsionem ultra di-midium rescindi illa possit, quod ego negandum esse arbitror. Præterquam enim quod hæc *l. in stir. jur.* judiciis non obtinet, ne læsione quidem ultra quadruplum Transactionem rescindi videmus *l. 78. §. ult. ad SCtum Trebell.* Præterea, nonne repellitur creditor, qui postquam transagit, iterum agere vult sub prætextu, quod ex novis instrumentis probaturus sit, sibi re-vera debitum fuisse? *l. 19. C. b. t.* Nonne ipsum imperiale re-scriptum nihil ad rescissionem operari videmus? *l. 16. C. b. r.* Quæ tamen hic minor pro rescissione militat ratio? Clarissime igitur hinc patet majorem semper litium brevi finiendarum, quam læsionis habuisse rationem Impp. Et denique vix est, ut quis in Transactione læsus dici possit, cum eventus litis semper sit incertus, ac dubius, & sumptus, qui litigantes, quocunque etiam se vertant quotidiè premunt, paulatim oppressuri, transi-gendo amputantur. Satis igitur eum lucrari, qui à lite discedit, dicere mallem, & cum Pollet. *lib. 5. hist. for. Rom.* majus com-pendium eum reportare, qui tempestivè liti cessit, quam qui se-culari potitur victoria.

A U G U R A L I S .

# COROLLARIA.

I.

*Exceptio non numerata pecunia post bienium opponi nequit.*

III.

IIIIX

*Venditor non tenetur praecise rem tradere.*

III.

*Negotiorum gestor tenetur de culpa levissima.*

IV.

*Dolus dans causam contractui bonafidei reculdit eum ipso jure nullum.*

F I N I S.